


QK. 338. 29.

Z d  
6020

EPITA-  
PHIA QVAEDAM  
IN OBITVM HONESTI  
uiri Ioannis Rhau, Quæstoris Scho  
lae Vitebergensis, & duorum  
filiorum fratris eius  
GEORGII RHAU.

ANNO  
M. D. XLVIII.



(X 1999 3644)



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



19

# GEORGIVS

## R H A V T Y P O G R A-

phus ac ciuis Vitebergensis, Ma-  
gistro Ioanni VVeisgerber, Ge-  
nero suo chariss. Scholæ Coe-  
burgensis Rectori  
S. D.



Vlti sunt boni do-  
cticꝝ viri & iuuenes,  
chariss. gener, qui  
obitum & fratriſ &  
filiorum meorum,  
non minus atqꝝ ego, egre ferunt, &  
hos tristissimos casus mecum do-  
lent. Quare quidam meum luctum  
consolatorijs Epistolis, quidam  
vero Epitaphijs componendis,  
A 2 minuere

minuere ac leuare certatim quasi  
conati sunt. Quibus omnibus,  
quacunq; oblata occasione, a  
me habebitur, & agetur gratia.  
Nam illud eorum pium studium  
est mihi hoc tempore tam gratum,  
quam φ gratissimum. Cogitare  
enim tecum poteris, quid mihi nūc  
sit animi, amissa spe prolis meæ, ex  
qua & nomen meum & familiam  
ad posteros me missurum spera-  
bam. Deinde cum natu maior fili-  
us GEORGIVS, vt scis, quasi ba-  
culus meæ senectutis erat, cui eti-  
am, me decumbente, vt sæpe fit, to-  
rum Calcographicum negocium  
tuto committere poteram. Alter  
vero & minor natu IOANNES,  
tum ob tenellam ætatem, tum eti-  
am ob magnam bonæ indolis  
spem

spem, quam de se non obscure  
præbebat, vterq; mihi charissi-  
mus, sed ille etiam dulcissimus e-  
rat. Augebat etiam amorem utri-  
usq;, & obedientia & reuerentia,  
qua me & matrem studiose pro-  
sequebantur. Quantum etiam pro-  
mouerat in literis **GEORGIVS**  
multi norunt. Et quamuis videtur  
iustum ingentis doloris, & luctus  
occasionem mihi oblatam esse, ta-  
men cum verbo Dei edoctus sci-  
am, & certo credā, nostros capil-  
los esse numeratos, accipio ista om-  
nia in meliorem partem, & iudico  
hæc esse gratiæ signa, nam scio ve-  
rissime, me habere fauenten **Chri-**  
**stum**, modo ne illum amittam, a-  
beant, valeant omnia, quæ sūt hu-  
ius mundi, etiam charissima. Dein-

A ; de

de etiam quidam mihi iniuria eos,  
quos in charis habeant, afficere vi-  
dentur, si illis in hoc turbulentissi-  
mo mundi, & præsertim Germania-  
niæ statu, quietem inuideant, præ-  
sertim talem, quæ sine cæde, & san-  
guine, cum vera confessione suo-  
rum peccatorum, & fidei eis obti-  
gerit. Orandus & nobis est ex hoc  
mundi peruersissimo theatro, talis  
exitus. Quā enim nulla iactura est,  
sic obire mortem, potius quam aui-  
bus cœli, alijsq; bestijs escam fieri,  
quēadmodū hoc anno proh dolor  
multis contigit. Nam ego certo æ-  
stimo hunc nō compotem mentis  
esse, cū nobis omnibus via vniuer-  
sæ carnis manet, vt scriptura loqui-  
tur, non malle quempiam vocante  
**Deo** quam primum vitam cum  
morte

70

morte commutare, quam hic in  
terris adhuc diu vitam agere, quæ  
sit omnibus ærumnis, miserijs, &  
calamitatibus exposita, in qua vi-  
uens se viuere nesciat, Nam sine pa-  
ce hæc mortalis vita assidua mors  
est, quod nos docuerunt hæc tem-  
pora, non sine nostro magno ma-  
lo. Nam quis hactenus immunis  
fuit a gladio, fame, & peste? Adeo  
vt quis credat furias emissis colu-  
bris caluas esse. Sed hæc potius sunt  
deploranda, quam commemoran-  
da. Longius etiam me aufert cogi-  
tatio misericarum huius temporis,  
quam institueram. Ceterum vt ijs,  
qui Epitaphia & fratri, & duobus  
filijs meis composuerunt, me gra-  
tum exhibereim, tum vt tibi ea ad  
legendum aptiori modo mittere

A 4 possem,

possem, visum est mihi illa impri-  
mere, quorum aliquot Exemplaria  
tibi mitto, vt ea nostris affinibus,  
ac amicis ad legendum præbeas.  
**Vale.** Vxorem tuam ANNAM,  
& alteram CHRISTINAM, filias  
meas, ex me & matre, vt officiose  
salutes rogo. Iterum vale. Date Vi-  
teberge viij. Ianuarij. Anno 1548.

## EPITAPHIVM

IOANNIS RAVI, AVTHORE  
Georgio Thymio Cygneo.

R H A V V S Ioannes senio consecutus honcsto  
Hoc recubans tumulo lumina clausa premit.  
Atropos ante diem cui uitæ stamina rupit,  
Vir fuit in uiuis integer, atq; pius.  
Utq; suis studijs multum prodeisset, in omnes  
Officiosus erat sedulitate, fide.  
Sint licet in cineres illius membra soluta,  
Mens pretiosa tamen cœlica regna tenet.  
Quisquis es ergo Rhauum mortali lumine cassum  
Tristè gemens noli flere, dolere, queri.

Nil

21

Nil prosum illis lachrymæ, quos fata tulerunt,  
Quin magis ex animo dulce preccare solum.

EPITAPHIVM GEORGII RHAVI  
iunioris, Hieronymo Mencelio Autore.

Vnica spes patris, generisq; Georgius olim  
Fama futura sui, hac Rhauus opertus humo est.  
Artibus ingenuis teneris excultus ab annis,  
Et puræ semper religionis amans.  
Quem fera mors rapuit primæuo flore iuuentæ,  
Optima quæ semper tollere quæq; solct.

ALITER SIC, HIERO.  
Mencelius.

Qui spes magna sui iam cœperat esse parentis  
Exigua Rhauus dormit opertus humo.  
Quicquid enim iuuenem fas est cognoscere tales,  
Qui patriam possit condecorare suam.  
Id teneris didicit studiose semper ab annis,  
Inprimis coluit dogmata sancta pius.  
Ante diem uitæ ruperunt filia sorores  
Ossa tegit tellus, spiritus astra tenet.

ALIVD.

Nomine qui rectulit clarum & pictate parentem  
Rhauus in hoc tumulo post sua fate cubat.

A S Cui

Cui pater hæc mœstus monumenta lugubrida fecit,  
Vnde quæas cladis conscius esse suæ.  
Namq; suæ amisit solamina summa scne&tæ,  
Perdidit & generis spcmq; dcccusq; sui.  
Sic aduersa bonis mors eripit optima scmper,  
Et superesse eadem pcßima quæq; sinit.

ALIVD EPITAPHIVM GEORGII  
Rhaui iunioris, Authorc Ioan. Spang.

Inclita qui transis templi per scpta uiator  
Siste gradum, & iuuenis respice busta pijs  
Filius hic Rhaui modica requiescit in urna,  
Quo uix in pueris doctior alter erat.  
Viuat in ætherco pia mens dic uiuat olympos,  
Dic quoq; dic Rhaui molliter ossa cubent.

FILIUS GEORGIVS LOQVITVR  
ad patrem, Ioan. Spang.

Heus uenerande parens mœstū precor exue uultum,  
Terge oculos, satis est indoluisse scmcl.  
Qui dedit hic rursus charum subduxit aluminum,  
Fortuna poteram non meliore frui.  
Sim licet in teneris morbo corruptus acerbo,  
Et secuit uitam mors inopina meam.

Inclita

Inclita fama tamen manet usq; domiq; forisq;  
 Munia uirtutis non moritura meæ.  
 Non igitur genitor dilecto orbatus alumno,  
 Certe non minus est, quam fuit ante, tuus.  
 Sim licet creptus fato tibi, non tamen orbum,  
 (Qui me nunc rapuit) deseret ille Dcus  
 Ipse tibi patri Dominus protector asylum  
 Et mihi in Elysio gloria semper erit.  
 Hic mihi fatales ruperunt fila sorores  
 Ossa tegit tellus, spiritus astra tenet.

**EPITAPHIVM OPTIMI ADOLE<sup>E</sup>**  
 scens Georgij Rhaui, Georgij Typographi  
 Vitebergensis filij, qui obiit anno  
 M. D. XLVII.

Si quis ad hoc uenies monumentum, siste uiator,  
 Paucaq; in hoc saxo uerba notata lege.  
 Hic tegit ossa lapis Rhaui tumulata Georgi,  
 Quem iuuenem mortis sustulit alta quies.  
 Vixerat is lustro confinia tempora quarto,  
 Et decor in tenero corpore multus erat.  
 Ingressusq; pīj uestigia recta parentis,  
 Indolis egregiae plurima signa dedit.  
 Ingenuas didicit Musis hortantibus artes,  
 Saluifice cupidus relligionis erat.

**Grandællum**

**G**randeum coluit summa pietate parentem,  
Illi atq; unus maxima cura fuit.  
**A**rte Typographica, qua excelluit ille, subibat  
Diminuens patri saepe laboris onus.  
**D**eniq; spes fuerat studijs quod is arte premendi  
Auxilio lapsis, subsidioq; foret.  
**A**st aliter uisum esse Deo liquet, ardua cœli  
Sydera mens placida morte soluta petit.  
**Q**uae fuit in Christum tunc directissima, donec  
Esset in extructo corpus inane loco.  
**I**sta uiator habet, sunt haec quæ scire uolebam  
Quisquis ad hunc tumulum forsan haberet iter.  
**E**t siquidem uiræ flagras pictatis amore  
Dicito, defuncti molliter ossa cubent.

**EPITAPHIVM IOANNIS RHAVI**  
**G**eorgij filij, qui obiit anno M. D. XLVII.

**HOSPES. CIVIS.**

**C**uius is est tumulus, pueri liquet esse tenelli,  
Nam breuis urna huius corpus inane capit.  
**T**u recte. Rhau i nam continet ossa Ioannis,  
Qui patri summi pignus amoris erat.  
**H.** Quem patre dicis? num qui uulct arte premendi,  
Et graphica multos edidit arte libross?

Sie

C. Sic. H. Sed quo perijt morbo correptus. C. Id. 23

Ignoro, at multos abstulit illa lues. (ipsum  
Bella fames sequitur, morborumq; agmina certo

Illius hinc credo semina sparsa mali.  
Sed quocunq; genus morbi sit quærcere noli,  
Et pueri extincto molle preccare solum.

### IOANNIS RHAVI, FILII

Gcorgij etc. Ioan. Spang.

Hoc cubat in tumulo quicquid mortale ferbat

Rhauus Ioannes, spiritus astra tenet.

Ingenio prudens, sincerus nomine, uita

Scilicet hoc celebri nomine dignus erat

Cœperat alterius spatium transcurrere lustri,

Dum uitam clausit cum pictate suam.

Dic age qui transis per moesta uircta uiator,

Dic pia Ioannis molliter ossa cubent.

### HIERONYMI MENCELII.

Ne mundi perdat teneras infania mentes

Sæpius infantes mors inopina rapit.

Sic tener hic nonum Rhauus uix attigit annum,

Quando illi iniicit mors uiolenta manus.

Hunc illi tumulum moestus pater ipse locauit,

Orbatus bina tempore prole breui.

Epitaphium

EPITAPHIVM PII ET ERVDITI

Iuuenis Guolfgangi Suertelij Coburgensis, sacra  
rum literarum studiosi, qui obiit anno

M. D. XLVII.

Hunc ades ad tumulum quicunq; adueneris hospes,

Attentaq; isthæc carmina mente lege.

Hæc premit ossa pij Guolfgangi condita tellus

Suertelij, sed mens cœlica regna colit.

Virtutis fuit is ueræ & pictatis amator,

Excoluit siquidem dogmata Christe tua.

Nam simul est studijs primis imbutus ab annis,

Ad sacra non duro pectora semper erat.

Huic natale solum Coburgum, ubi pectora primo,

Artib; ingenuis erudienda dedit.

Publica deinceps sunt decreta stipendia ut illis

Leucorcam hanc peteret sumptibus ipse Scholam.

Atq; ibi de studijs profectus abstulit istos,

Træderet ut populo dogmata sacra pio.

Doctrinæ specimen cœlestis præbuit illud,

Christe tuum ut posset ritè docere gregem.

Tales sed patitur multas Ecclesia clades,

Tempore quo titubat machina magna poli.

Inq; chaos ruinosa prius lapsura uidetur.

Nam simul in peius omnia uersa ruunt.

Doctores percunt ueræ pictatis & æqui.

Dæmonis hæc an sunt uulnera parua mali?

24

Sed nos nostra Dco solucmus uota precesq;  
Ut mundi pœnas mitiget ipse graues.  
Nec sinat iniusta grassari cæde Tyrannos,  
Nec premere indigna dogmata sacra nece.  
At tu mente pia defuncto defer honores,  
Dicitoq; in Christo condita membra cubent.

RECTOR ACADEMIAE

Vitebergensis. Ad funus Ioan.  
mis Khan Eudoxoris a Thorehale.

**S**ÆPē accidunt Ecclesiæ mala inextricabilia  
humanis consilijs, cuius rei illustris imago pro=  
posita est in lapsu primorum parentum, quæ  
post delictum uere ab omnibus creaturis destituti=  
erant. In tantis miserijs cum essent, prodijt tamen  
DEVS conditor, & uoce promissionis edita, ostendit  
se recipere genus humanum. Quo exemplo te=  
status est, se nobis opem ferre, etiam cum dectitui=br/>mur ab omnibus creaturis. Ac non solum exempla  
deinceps multa tradita sunt, sed præcipitur etiam,  
ut in ærumnis petamus, & expectemus opem diui=nam.  
Ut enim confici præsentia DEI in Ecclesiæ  
possit, in his ipsis periculis, quæ non discutiuntur  
humanis consilijs, dextera nos sua Deus erigit ac  
protegit.

Hac igitur fide excitati, hoc tristi tempore, pe=br/>tamius


*Zd 6020*

tamus a DEO ueris gemitibus & uotis, utin ira mi-  
sericordiae recordetur, ac piam & salutarem pacem  
huic Vrbi, & his regionibus, in quibus sunt Ecclesiae  
hospitia, restituat, & priuatas calamitates mitiget,  
& rursus pia doctrinæ studia accendat. Nam ad  
belli mala accessit Academiæ etiam illa calamitas,  
quod hic unus annus tres uiros nobis cripuit, qui  
præcipue fuerunt usui Scholæ, doctrinæ lumen, re-  
uerendum D. Martikum Lutherum, Deinde gubernatorem  
Oeconomiae fidelem & fœlicem, Nunc 10=  
annum Rhau, Quæstorem, uirum honestum, inte-  
grum, officiosum, & bona fide functum suo mune-  
re. Talium uirorum interitus etiam propter omen  
nobis maiorem dolorem adfert, quod tamen ut miti-  
get DEVS, oramus. Fict autem funus Ioanni Rhau  
hodie hora quarta, ad quod conuenire honestos ho-  
mines pium officium est. Quare eos præscriptim, qui  
nostræ Academiæ coniuncti sunt, adhortor, ut usita-  
tis ceremonijs intersint, & coniungant preces cum  
Ecclesia petente mitigationem communium  
miseriarum & pacem. Dic sexta Febr.  
Anno M. D. XLVII.

FINIS.

# Farbkarte #13

Centimetres



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

